

P A G V S A V E N T I C V S.

dolpho ab Habsburg ingenti precio suum in hanc urbem jus vendidit. Quam ob causam ab Ænea Sylvio Friburgum nobilis Austriæ domus appellatur. At cives variorum dominorum pertæfi, pecuniis libertatem ab Austria domo redemerunt. Nunc Helvetici juris est. Situs urbis istiusmodi est, ut parte tenuis in præcipitibus montis petris jaceat; partim in valle montibus clausa, quam rigat amnis *Sana*. Prætorium certas in alta rupe, ubi aliquando castellum fuit, à quo incrementa sursum ac deorsum accepit civitas. Mœnia ipsos montes pro fulcris habent, tametsi in Orientali monte nullæ fere domus, præter munitiones, existant. Per universam urbem aut adscenditur, aut descenditur.

*Regimen.*

Forma Reipub. ac regiminis similis plane est gubernationi urbium Helveticarum, illarum puta, quæ non sunt in certas tribus distinctæ. In his autem urbibus supra dictis summus Magistratus & Concilii caput incolis vocatur, *ein Schuldtheisen*. Vox hæc Germanica est, & in Longobardorum legibus usurpata. etymon fluixisse videtur à debito, *Schuld*/ & jubendo *Heissen*; quod videlicet Schuldahis debitoribus imperet, ut creditoribus suis satisfaciant. Iste Præ-

tor in his urbibus summæ est autoritatis. Concilia hic itidem publica duo sunt, majus & minus. Majus Concilium Bernæ, uti & Tiguri nomen habet ducentorum, quamvis plures sint ducentis. Minus vero Concilium Bernæ est hominum xvi. Senatus eligendi ratio hæc Bernæ servatur. Quatuor urbis signiferi ex toto ci-vium numero viros xvi probatæ ac conspicuæ virtutis ac probitatis sibi adjungunt. Qui xx viri, una cum Consule majorem Senatum eligunt, ac postea etiam minorem. Consules, quorum præcipua est dignitas, ab utroque Concilio communibus eliguntur suffragiis. Friburgi itidem majus Concilium est ccc hominum, minus xxiv. Rebus urbanis præst minus Concilium, coram quo provocaciones civium ac subditorum audiuntur, præterquam quæ instituuntur ex præfecturis Sabaudicis, postremo bello captis viatisque. Quæ vero ad summam rei adeoq; ad totam rempublicam pertinent, ad ducentorum Concilium rejiciuntur. Consul utrique præsidens Concilio ab universo populo deligitur. Comitatus hic sunt, *Numburg*, *Nudow*, *Arberg*, & *Baronatus Balm*.

